

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis  
Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Episcopo Cantuariensi S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](#)

tem recensere uelim? Gratulor igitur perpetuā felicitatem genti uestrae, quæ nunc quoq; uirtute & ducum gloria cæteras nationes antecellit. Neminè enim hoc tempore duci Tarnouio anteferre possumus. Huius uictoria celebratur, & propter magnitudinem rerum gestarum, & propter utilitatē. Nam hic unus custos esse huius partis Europæ aduersus Scythicam barbariem existimatur. Hoc decus & reipublicæ Christianæ & tibi gratulor: & opto, ut Deus rerum conditor te seruet, & uocet aliquando ad res gerendas maiores, ac liberandam à Turcica barbarie & tyrannide uniuersam Europam. Ad hanc rem cum opus sit regum opibus & concordia, ei omnes uota faciat, ut Deus regum animos excitet, ut tot gentiū Ecclesiæ tegere armis, consilio, & iunctis uiibus tandem uelint. Hæc ad te scripsi, ut meum studium tibi declararē. Nam cum arma uestra bonarum rerum doctrinam defendere debeant, uicissim decet ordinem nostrū uiros fortes amare & colere. Ego uero in primis uestre gentis præstantes uiros amo. Quare me uicissim ut complectaris, te etiam atq; etiam oro. Bene & feliciter uale: Ratisbonæ, 9 Iulij. 1541.

Episcopo Cantuariensi S. D.

Reuerendissime præful. Ex Ostandro, uiro optimo, & mihi ueteri amicitia coniuncto, & ex multis

tis alijs bonis et doctis uiris intellexi, te preclaram  
doctrinæ laudem cum eximia pietate coniunxisse.  
Itaq; sepe gratulor Britannia uestræ talem Episco-  
pum: quales si haberet Ecclesia aliquanto plures,  
non difficulter & concordia orbis terrarum consti-  
tui, & seruari Ecclesia posset. Cum autem non du-  
bitarem, quin ad ceteras uirtutes humanitatē sum-  
man adiūxisses: duxi tibi commendandum esse hunc  
bonum uirum, Alexandru Alefium Scotum. Is pro-  
ficiuntur in Britanniā, ut exhibeat R.P.T. quod-  
dam meum scriptum. Scripti & R.P.T. me conatū  
esse ut & diligenter & utiliter explicarē, & quā-  
tum possem mitigare plerasq; controversias. Sed  
iudicium de toto scripto libenter & R.P.T. & si-  
milibus uiris doctis & pijs permitto, à quorum iu-  
dicio nunquam in Ecclesia Christi dissentiam. Ita-  
que si uel studium meum, uel scriptū probabis, ro-  
go ut R.P.T. adiuuet hunc Alexandrum, ut Regie  
maiestati libellū exhibere posſit. Ceterum ipsius  
Alexandri tanta est doctrina, probitas, & in omni  
officij genere diligentia, ut nullam posſit ad uirum  
sapientē commendationē maiorem quam suam uir-  
tutem adferre. Proinde licet uerē sperem te pro tua  
prudentia & potestate libenter amplexurum ho-  
minem: rogo tamen, si quid literæ nostræ apud R.  
P.T. ualēt, aliquid mea causa studij addas ad ea of-  
ficia quæ tua uoluntate in eum collaturus es. Iudi-

cium uero tuum de meo scripto, poteris nibi R.P.  
T. per hunc Alexandrum significare. Commendo  
me R.P.T.summo studio. Bene ualeat R.P.T.ad il-  
lustrandam gloriam Christi. Mense Augu-  
sto, Anno 1535.

Reuerendo viro, eruditione, uirtute, &  
pietate uera præstanti, D.N. patro-  
no suo cum obseruantia co-  
lendo.

N. à Amsdorf

III, 104.

Reuerende Domine: Ut Ecclesia Dei uera tan-  
quam orphana, inter haec imperia mundi intuetur  
pios pastores, & ueros episcopos, & ab eis conso-  
lationem petit: ita puella nunc domini Pauli filia on-  
phana necessario suo tempore, a quo imploraret  
auxilium potius quam a paterno amico, & uere E-  
piscopo? Quare cum liberalitatem erga eam exer-  
ciuistis, pietas uestra Deo grata erit: & pro ea u-  
tissim Deus his Ecclesijs et politijs bene faciet. Nos  
quidem & puelle nomine, & sponsi, et nostro gra-  
tiam habemus: & Deum aeternum patrem Domini  
nostrri Iesu Christi precamur, ut Ecclesijs que don-  
stant ex puellis & pueris orphanis, defendant ac re-  
gat: & seruet nos & alios pios doctores, tanquam  
oleas feraces in domo Dei: nec finiat extingui lucē  
Euangelij & noticiam Domini nostri Iesu Christi:  
sed multorum pectora uere accendat, ac pia studia  
doctrinae